

habere non meretur. *l. 3. C. de sentent. ex peric. recitand.* Proinde si ordo pervertitur, & sententia prius recitatur, seu ore tenus profertur & postea scribitur, tum illa non valet. Vantius *Tr. de Nullitat. Tit. de Nullit. sent. n. 70. p. 488.*

VI. *Accedit Judicis interrogatio.* Postquam enim prædicto modo sententia concepta & in scripturam redacta est, tum in solenni illo ultimo judicio criminali Judex singulos Assessores interrogabit, eorumque vota colliget: Num juris sit, quod in præsentis casu statuitur, id est, an illam sententiam reus promeruerit. Interrogationem sic formavit Remus *ad h. artic. p. 89.* Semproni, quæro ex Te de jure, num ex animo credas, commissum crimen hunc in modum, & hac pœnâ, non verò aliter puniendum esse.

ARTIC. XCIII.

Quale responsum assessores subjiciant.

Wie die Schöffen und Urtheilsprecher ungefährlich antworten.

Der Richter / Ich sprich / es geschieht billich auff alles gerichtlich Einbringen und Handlung / was nach des Gerichts Ordnung recht / und auff gnugsame alles Fürtrags Besichtigung in Schriftten zu Urtheil verfasst ist.

AD ARTIC. XCIII.

ARGUMENTUM.

Scabinorum seu Assessorum vota & responsa, quomodo comparata esse debeant, constituitur.

EXEGESIS.

Quoniam ad decentem interrogationem apta requiritur responsio, ideò Imperator hic ordinat, quomodo quilibet Assessor Judici interroganti de justa sententia, quâ reus condemnandus est, respondere debeat. Scilicet, Domine Judex meritò ita judicatur, postquam acta sunt perlecta, audita, examinata, & judicii ordo servatus est di-